



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 3. Solatium divinum adest, absente, aut spretô, humanô. Ex Veteri, & Novo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Est enim Dei munus; & hoc est ejus proprium: eos, qui sunt dejecti, & afflicti, consolari. Id. in Pl. 146.

Deo exhortante, & consolante nos, quamvis mille hominum molestaverint, haud in re sanè vel minima offendere potuerint. Nam cum ille in solido cor posuerit, nemo id vel moveri coegerit. Id. hom. 4. de poenit.

Omnis anima Deo devota, & vulnerata charitate, & amore languida; nihil invenit sub sole, in quo consoletur. Sola memoria Dei eam delectati: cujus omne desiderium est, ut sit ante Dominum. Richardus à S. Vict. de superexcellenti Baptismo Christi.

Si libet conqueri; quidquid querimoniarum velles apud homines deponere; id humiliter deponere apud ipsum Dominum: pertractans cum eo, tanquam cum pijsimo Patre, praesentissimoque adjuvatore, quidquid te angit. Blossius parad. an. c. 9.

§. III.

Solatum divinum adest, absente, aut spretò humano.

Ex Veteri, & Novo.

Ecce ego pluam vobis panes de caelo. Ex. 16. 4. Manna non datum, priusquam farina ex Aegypto delata defecisset. Quamdiu in te est farina Aegypti, manna caeleste non gustabis. Stella de cont. &c. p. 1. c. 1.

Cumque plena fuissent vasa &c. 4. Reg. 4. 6. Vidua ad praecipitum Elisaei in vasa vacua à filijs sibi illata, oleum à Deo miraculose multiplicatum infudit. Quod &, vasis deficientibus, stetit. Si vis, ut divinam suam gratiam Deus animo tuo infundat; ipsum à Mundi amore vacuum illi offer. Quod si cessat divina consolatio, ideo fit, quod cessas dare vas vacuum; Mihi crede: si Deus tibi non largitur gratias, quas magnis suis donavit amicis; id non fieri, quod modò non sit liberalis, sicut tunc; sed quia tu voluntatem non disponis, sicut illi suam disponebant. Stella ibid.

Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus. Pl. 45. 11. S. Remigius: vacate, id est, vacui estote, unde pleni estis; implemini, unde vacui estis. q. d. evacuate saccos vestros palea, & implete eos granis. Sylveria c. 10. in Matth. 5. q. 7.

Exaudi te in abscondito tempestatis. Pl. 80. 8. Quando non palam tribulationem circumfers, ut solatia mendices ab hominibus; tunc à Deo audiris: qui cum ijs versatur, à quibus ærumnae in sinu continentur; nec auribus hominum, oculisque, patefaciunt. Plorat Jonas in navi, Jon. 2. 3. plorat in ventre ceti, affligitur ubique, ubique Deum invocat. Et quidem fortius se vicit in navi, ubi & se peccatorem fastus est publicè; & naufragium suum non tulit modò, sed & suavit. Nihilominus tamen non exauditus in navi, auditur in ventre monstri: hinc redditur littori; inde deditur ceto. Scilicet in navi palam miser erat, occultè ærumnosus latebat in

bellua. Ibi lacrymas nautarum multorum compassione calamitatem suam temperabat; hic verò omni destitutus amicorum luctu, in abscondito tempestatis auditur à Deo. Cujus divinæ consuetudinis non ignarus David dolores suos comprimebat in corde; quò facilius à Deo liberaretur. Pl. 88. 51. *memor esto Domine opprobrij servorum tuorum (quod continui in sinu meo) multarum gentium.* Oliva l. 12. Strom. §. Exaudi te.

Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum. Pl. 146. 9. Cur non corvos dicitur pascere? quia corvi arrodendis, & devorandis, cadaveribus incumbunt; & propterea indigni sunt, qui à Deo peculiari providentiâ nutriantur: at verò pulli corvorum, ait Cassiodorus, qui adhuc paternas escas, id est, foetores cadaverum, beneficiò ætatis, ignorant; digni sunt, qui sustententur. Sic, qui operibus mortuis, terrenis voluptatibus, pascuntur; indigni divinâ consolatione. Mendoza in 1. Reg. annot. 8.

Deficiente vinò. Joan. 2. 3. Naturale deficit, ut supernaturaliter factum apponeretur. Deficiente vinò humanæ lætitiæ, apponendum erat vinum lætitiæ spiritualis; & ad defectum summus erat adventurus profectus. Cum creatura voluntariè Mundo deficit, profectus divinus advenit. Sim. Cass. l. 5. c. 1. Christus vinum suum suavissimum tunc propinavit, cum nuptiarum vinum deficit. Tunc solatia sua, omni vinò suaviora, nobis Deus præbet, cum Mundi solatia deficiunt. Barradius t. 2. l. 3. c. 6.

Erat festus dies Judæorum, & ascendit Jesus Jerusalem &c. Joan. 5. 1. Ad malè habentes, qui festivitibus vacare non poterant, se convertit misericors miseris factus homo. Semper Christus tradidit se ad solamen, qui Mundi solatia despexerunt; aut quos ipse Mundus abhorret; si velint se in bona Christi transferre. Sim. Cass. l. 5. c. 27.

Martha occurrit. Joan. 11. 20. Dimittit Martha domum, dimittit sororem, dimittit consanguineos, & amicos; dimittit, qui humanè venerant præstare solamina; & inconsulta venit, cum superiorem potentiâ, & virtute, advenire cognovit. Dimittuntur bona, cum meliora proveniunt. Et ima pro summis, terrena pro caelestibus, humana pro divinis, dimittere, ratio sic sana docet. Summa Christus est causa; ut omnia fiant repudio, cum advenit. Et humana consolatio dimittatur, ut se promittit adesse divina. Sim. Cass. l. 5. c. 15.

Quod est interpretatum, filius consolationis. Act. 4. 36. Meritò filius consolationis dicitur, qui, præsentia contemnens, spe futurorum consolatur. Nam Spiritus S. ideo Paraclitus cognominatur: quia in Mundo presuram habentibus, per internam sui muneris infusionem, paraclisum, id est, consolationem caelestium præstat gaudiorum. V. Beda hîc.

Fui in insula, quæ appellatur Patmos. Apoc. 1. 9. S. Antoninus tit. 6. de Ecclesiastica militia c. 1. p. 1. ob insuperabilem evangelizandi constantiam à Domitiano Imp. relegatus

in insulam Patmos; in qua, destitutus humanae consolationis confortio, divina invenit allocutionis consolationibus relevati.

Vincenti dabo manna absconditum. Apoc. 2. 17. Contemnenti carnalem consolationem dabo spiritualem: respuenti terrena, & exteriora bona, ostendam coelestia, & interiora charismata; quae merito sui excedunt omnia alia delectamenta. Gerson, ep. invit. ad spirituales profectum.

§. IV.

Solatia divina non miscentur humanis.

Flat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis. Gen. 1. 6. S. Chrystost. legit: fiat *paries*. Intercedat murus, qui fecernat aquas, ne alia cum aliis communicent. Hugo de S. Viç. ait: ex his aquis, alias esse Symbolum voluptatis, alias typum consolationum Spiritus S. Fiat ergo paries, & dividat aquas ab aquis: quia fieri nequit, ut delicijs Spiritus S. fruatur, qui nimis diligens procurator est sui corporis. Did. Niss. d. 2. Quadr. §.

Secus. Matth. 171. Qui gaudere vult favoribus, & delicijs Dei; necesse est, ut illum Iolum quarat. Id. ib.

Deficiente vinum. Joan. 2. 3. Sicut Christus D. non tribuit suum novum vinum, ac miraculosum, donec vinum nuptiale deficeret, defectusq; à ministris agnitus fuisset: sic ordo charitatis exigit; ut antè deficiat in corde vinum carnalis amoris, quam tribuatur vinum spiritualis dilectionis. De Ponte in Cant. 2. Eph. 35. §. 3.

Quem Mundus non potest accipere. Joan. 14. 17. Mundum hic appellat amatores Mundi. Quare autem Paraclitum hunc spiritum veritatis non possunt accipere immundi amatores Mundi? videlicet quia consolationem suam habent; quia non lugent; quia de peccatis suis, quorum hic Paraclitus remissor est, non dolent. S. Rupertus l. 11. hic.

Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos. Joan. 16. 7. Si Apostoli, adhuc carni Dominice inhaerentes, quae sola Sancta (quia Sancti Sanctorum erat) Spiritu S. repleti nequiverunt; donec tolleretur ab eis. tu carni tuae (quae sordidissima est, & diversarum spurciarum phantasjs repleta adstrictus, & conglutinatus, illum meracissimum spiritum te posse putas suscipere; nisi carnis istius consolationibus funditus renuntiare tentaveris. S. Bernardus. 3. in asc. D. Si Christi humanitas impedimento perfecto amoris; quid caetera creaturae facient, si eas inordinate ames. Did. Niss. D. 4. Pasch. §. 4.

Delicata est divina consolatio; & non datur admittentibus alienam. S. Laurent. Just. de Continentia c. 4. Sicut vas plenum aqua non potest capere vinum, nisi prius effundatur aqua: sic cor humanum, dum plenum est vanis cogitationibus, & desiderijs pravis, non potest recipere Christi consolationes. Hugo Card. in Gen. 45.

Flamma, juxta quam aqua. Lem: *Non miscentur.* S. Bernardus ep. 2. quomodo ignis & aqua, simul esse non possunt; sic spirituales, & carnales, deliciæ in eodem se non patiuntur. Picinelli.

§. V.

Solatijs etiam divinis disce carere.

Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus. Matth. 14. 24. Nunc rursus Discipuli fluctuant, ac periclitantur, sicut & prius. Verum tunc quidem cum essent imperfectiones, aderat & ipse ad consolationem; quanquam dormiebat. Nunc vero, cum jam profecissent, aberat: ut, nusquam habentes consolationem, efficiantur fortiores. Theophylactus hic.

Nondum ascendi ad Patrem meum. Joan. 20. 17. Instruitur Ecclesia militans, ut nec in hac vita in Christo praemia beatitudinis quaerat, neque consolari; sed tribulari, affligi, crucifigi, & privari amenitatibus sensualibus: decorari virtutibus appetat super terram; beatificari vero cum Christo in coelestibus apud Patrem. Sim. Cass. l. 14. de resurr. salvat.

Vera paupertas spiritus, in eo sita est, & nullam in oratione consolationem, aut gustum; sed duntaxat in laboribus, & doloribus; idque ex amore ejus, quod perpetuo in iisdem vixit, quaerat. Ex humin. S. Theres. c. 22.

§. VI.

Miscellanea de divinis solatijs.

Egressus Cain à facie Domini habitavit profugus in terra - Eden. Gen. 4. 16. id est in *locum deliciarum*, Miseri homines, perditis spiritualibus consolationibus, quaerunt solatium in vanis, & caducis. Hugo Card. in Gen. c. 11.

Loquimini ad cor Jerusalem &c. Il. 40. 2. Loqui ad cor Jerusalem, idioma scripturarum est: qui enim moerenti loquitur, & blandiens consolator est; ad cor loqui dicitur. S. Hieron. hic.

Quis opus habemus. Et quidquid nobis nunc exhibet Deus, cum prospere exhibet; non est gaudium beatorum, sed consolatio miserorum. S. August. in Pl. 143.

Statuamus aequè, tam in monte Calvariae, quam in Thabor dicere: bonum est me tecum esse Domine; sive in cruce moriaris, sive gloria refulgeas. S. Franc. Salef. Philoss. p. 4. c. 13.

§. VII.

Solatia humana, & terrena, non quaere.

Venite, & sub umbra mea requiescite. Judic. 9. 15. Contra rationem sibi cupiunt umbram, & inveniunt dignissimè flammam. Naxera in Jos. 23. §. 26.

Quis-